Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38125
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek

peruenіat; Quod autem superfuerit in sagis
quae parentur tecto: id est unum sagum quod
amplius est: ex medietate eius operies posteri
ora tabernaculi: et cubitus ex una parte
pendebit: et alter ex altera; qui plus est in sa
gorum longitudine: utrumque latus taberna
culi protegens; Haec ut plenius intellegi
queant: paulo latius de tota ipsius tabernacu
li positione disputare necesse est; Diximus pa
rietes tabernaculi quae ex tabulis et columnis
constabant: longitudinem habuisse triginta
cubitorum: latitudinem decem: altitudinem
similiter decem; Si quis ergo uellet domum
in latitudine cingere funiculo: uerbi gratia
a basi tabulae unius meridiani lateris: usque
ad basim tabulae quae erat e regione in la
tere septentrionali; Constat profecto eundem
funiculum triginta cubitorum longitudinis esse
debere: hoc est decem cubitos habens ascensi
onis in meridiano pariete: decem alios aequa
litatis sursum inter parietes: decem tertio
descensionis in pariete septentrionali;
Item si per longitudinem domus extendere funi
culum uelis: hoc est a basibus columnarum sursum